Etienne Noel – *Aphorismi Physici seu Physicæ peripateticæ principia breviter ac dilucide proposita,* Flexiae, Apud Georgium Griveav, Typographum Regium, & Henricæi Collegij Societatis IESU, 1646.

[Sezione dedicatoria, *Illustrissimo Viro Domino D. Urbano de Maille*], s.n.p.

Porro id miramur potissimum, quod bello inuictus pacem amas, & omni ratione procuras; Pace utitur Sabaudia, cuius Arbiter & transactor extitisti: Pacem haberet Europa, si Te audire Coloniæ sustinuisset. Hæc per Te ipse, atque his multo plura & maiora præstitisti; per Filium vero Franciæ Ducem & Parem, Maris Imperium tenes; per Filiam, propagas Borbonios Principes, per Generum Principem e Regia stirpe primarium, victorijs orbem occupas, immortalitatem gloria, fama æternitatem. Cum sis tantus, erubesco tantulum opus | Tibi consecrare. Etsi enim quæ probantur in Philosophia, siue Aristotelis, sive **RENATI DES CARTES,** & ipsorum etiam Chimicorum, omnia colligat ea breuitate, quæ neque obscurat quidquam, neque detrahit; paruum tamen videri debet pro amplitudine Ingenij Tui, quod univrsa, quæ sunt eximia in omni genere scientiæ, facile comprehendit. Sed iubes ipse ut audeam: Est enim editum in Tua Andegauensi Prouincia, ubi nihil sit laudabiliter, quod non protegas: Prodit in luce e Flexiensi Henricæo, cuius olim Alumnus fuisti, nunc Patronus: denique ab uno e nostra minima Societate perfectum est, quæ profitetur se nihil posse præstare, quod non fecerit Tuum & Tua (FORTISSIME MARESCALLE) singularis beneuolentia, & nostra obsequentissima gratitudo.

IOANNES DERIENNES, Societatis IESU